

SOMRVS BARO IN ECKENBVHEL.



Somrus animi & corporis fortitudine insignis
Baro extitit. Itaq; Pipini & Caroli Magni ca-
stra secutus, magnā uirtutis existimationē adeptus
est. Habitabat is non procul à Rheno in montium
faucibus, per quas Neccarus decurrit. Locus ille
tum Eckebuhel dicebatur. In eo loco aliquoties
Pagani conuenerant, atq; Idolis suis sacrificia offe-
rebat, unde postea Heidelberga urbs ibi ædifica-
ta dicta fuit. Is ergo Somrus Christianā fidem pro-
fessus, post multa præclara facinora tandem Bene-
dictinorum ordinē assumpsit. Itaq; in Eluuangen
Monasterio Monachus factus, suam arcē, cum op-
pido Schriessen, & alijs circumiacentibus locis Ec-
clesijs obtulit. Vnde etiamnum Palatini principes, qui ea loca magna gloria
incolunt, quibusdam præsulibus & Ecclesiarum prælatis ea de causa aliquo
modo devincti existunt. Anon.